

et prelatis earum non tam reliquias rerum mobilium eorundem consueverant occupare ac convertere in usus proprios occupatas, quam etiam redditus et proventus per tocius anni primi circulum ita prorsus auferre, ut nec solvi possent debita decedentis nec succedenti prelato necessaria ministrari, eidem consuetudini sive iuri, vel quocumque vocabulo exprimatur, renunciamus penitus ob reverentiam Crucifixi, cuius in nostro corpore baiulamus insignia; illud eisdem ecclesiis perpetuo iure donantes et auctoritate regia statuentes, ut ecclesiarum omnium libertate integra semper in omnibus permanente, res et redditus huiusmodi in solvenda debita decedentium prelatorum et in alios ecclesiarum usus per manus legitime succedentium libere convertantur . . .

### Nr. 33. (30). Reichsspruch über Veräußerung und Uebertragung von Reichsfürstentümern. — 1216, Mai 15.

MG. Const. II, Nr. 57, S. 70—72.

In nomine sancte et individuae Trinitatis. Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus rexque Sicilie. Cum ad summam instanciam precum dilecti principis nostri Chonradi Ratisponensis episcopi cum ipso episcopo nomine ecclesie sue quoddam concanbum fecissemus de duobus principatibus, scilicet de Inferiori et Superiori Monasteriis in civitate Ratisponensi constitutis, pro quibusdam aliis prediis et possessionibus ad prenominatum episcopum et episcopatum suum pertinentibus, accedens ad presenciam regie excellencie nostre in curia solemptni Erhypoli domina Tuta Inferioris Monasterii abbatissa personaliter nec non domina Gerdrudis Superioris Monasterii abbatissa per suum procuratorem cum aliqua honesta utriusque capituli parte coram principibus et baronibus atque tota curia nostra gravi querimonia proposuit, se et ecclesias suas indebite a nobis fore gravatas, et super hoc adiutorium et sentenciam principum postularunt; proponentes firmiter, nullum principatum posse vel debere commutari vel alienari ab imperio vel ad alium principem transferri sine voluntate presidentis principis illius principatus et de pleno consensu eiusdem ministerialium. Super quo facta a nobis inquisitione, per sentenciam principum et subsecucionem tam nobilium quam baronum atque ministerialium et omnium qui aderant iudicatum est: nullum principatum posse vel debere nomine concanbi vel cuiuscunque alienacionis ad aliam personam transferri ab imperio, nisi de mera voluntate et assensu principis presidentis et ministerialium eiusdem principatus. Nos igitur iusticie protectores nullo conamine iuri reniti volentes, sentenciam ipsam duximus approbandam, et quod contra memoratas ecclesias et earum principes pro episcopo et ecclesia Ratisponensi minus debite feceramus, omnino retractavimus in continenti presente episcopo prefato. Et ne de cetero similia contingant, decernimus et perpetua firmitudine observandum iudicamus, quod non liceat ulli successorum nostrorum, Romanorum regi seu imperatori, principatum aliquem, ut superius sentenciatum est, ab imperio aliquo modo alienare, sed omnes imperii principatus in suo iure et honore illos observare. Ut itaque dilecta fidelis nostra Gerdrudis et successores eius abbatissae nec non regalis ecclesia Superioris Monasterii hac sentencia gaudeant in antea et glorientur in perpetuum, hoc scriptum eis indulsimus sigillo maiestatis nostre roboratum.

Huius rei sunt testes: Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Engelbertus electus Coloniensis archiepiscopus, Otto Wirzburgensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Ultricus Pattaviensis electus, Cuno Elvacensis abbas, Lodoyicus dux Bawarie comes palatinus Reni, Hermannus et Fridericus fratres marchiones de Baden, Gerardus comes de Diets, Otto dux Meranie, Hartmannus et Lodwicus comites de Wirtenberch, comes Ernesto de Villeske, Bertoldus nobilis de Niffen et filii sui Henricus et Albertus, Gerardus comes de Rineck, Anselmus de Iustingen marescalcus imperii, Walterus pincerna imperii, Wernerus dapifer de Bolandia, Dieto de Ravenspurch camerarius imperii, et alii quam plures.

(M) Signum domini Friderici secundi Romanorum regis et semper augusti et regis Sicilie.

Ego Chunradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Sifridi Maguntini archiepiscopi et tocius Germanie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec Erbipolim anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo sextodecimo, regnante gloriosissimo domino Friderico Dei gratia secundo Romanorum rege et semper augusto et inclito rege Sicilie, anno Romani regni eius quarto, Sicilie vero octavodecimo feliciter.

Datum per manus Bertoldi de Niffen regalis aule prothonotarii, anno prenotato, Idus Maii, indictionis quarte.

### Nr. 34. (31). Mitteilung Friedrichs II. an ein Domkapitel über Heranziehung eines Kanonikers zum Hofdienste. — 1217, Nov. 17.

MG. Const. II, Nr. 60, S. 74.

F. Dei gratia Romanorum rex semper augustus et rex Sicilie dilectis et fidelibus suis, preposito, decano aliquis canonice Misnensibus gratiam suam et omne bonum.

Devotionis et fidelitatis obsequia, que dilectus noster magister Nicolaus domini pape subdiaconus et vester canonicus nostre serenitati exhibuit, attentes, ipsum in familiaritatem nostram plenarie recepimus et eum modis omnibus secundum ipsius honestatem intendimus honorare. Unde quia ipsum pro nostrorum promotione negotiorum plurimum habemus necessarium, rogamus dilectionem vestram, ut eum, quam diu fuerit nobiscum, ipsum absentem tanquam presentem reputetis, cum regalis sit iuris, unum de qualibet ecclesia cathedrali ad nostra obsequia posse assumere<sup>1)</sup>. Scituri, quod ecclesiam vestram ipsius servitii et dilectionis intuitu efficaciter intendimus defendere et ad maiora pro posse promovere.

Datum apud Aldinburg, XV. Kalendas Decembris, indictione VI.

### Nr. 35. (32). Testament Kaiser Ottos IV. — 1218, Mai 18.

MG. Const. II, Nr. 42, S. 52 f.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Dei gratia Otto quartus Romanorum imperator et semper augustus dilectis fidelibus suis Heinrico fratri suo palatino comiti Rheni, ministerialibus suis et universis burgensibus in Bruneswic et omnibus hoc scriptum intuentibus salutem in eo qui est salus omnium.

1. Que temporaliter acta sunt, ne instabilem temporis sequantur naturam, testimonio literarum memorie sunt commendanda. Nos igitur ob remedium anime nostre testamentum nostrum facientes, omni affectione qua possumus te, frater Heinrice palatine comes Rheni, rogamus, ut si Deus, in cuius ditione cuncta sunt posita, preceptum suum de nobis fecerit, ut universe carnis viam ingrediamur, quatinus pro amore Dei et in ea fide, qua nobis hominio et fraternitate astrictus es, sanctam crucem, lanceam et coronam, dentem sancti Iohannis baptiste et imperialia insignia, preter pallium nostrum, quod dandum est ad Sanctum Egidium, viginti septimanas post decessum nostrum conserves et nulli hominum sub celo representes, nisi ei quem principes unanimiter elegerint et iuste, aut ei, qui nunc est electus, si principes in eum consenserint; et pro hiis representandis, pro honore Dei et nostra salute, nullam acceptes pecuniam, nisi nostrum et tuum patrimonium per ipsa imperialia possis requirere; quod si non potest fieri, super gratiam ipsius, qui habiturus est regnum, que prefata sunt omnia resignes. Rogamus etiam vos,

1) Vgl. die „ersten Bitten“ unten Nr. 84.